



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense

Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>

Coloniæ Agrippinæ

Benedictio impeditorum conjugum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41233

ritas ✠ Patris, & communicatio sancti Spiritus, sit semper vobiscum.

Ad extremum poterit haberi brevis admonitio; qua dicta, aspergat Parochus conjuges, & populum in pace dimittat.

Benedictio impeditorum conjugum.

F It interdum (Deo hominum vindicante sive infidelitatem sive libidinem,) ut vir & mulier, maleficio impediti, à matrimonii usu impediuntur. Ad quam depellendam noxam, conjuges, primum omnium, diligenti conscientia examine & confessione sacramentali premissa, adibunt Sacerdotem; qui, lecta Missa de Spiritu sancto aut Deipara Virgine Maria, sequentes subjiciet Orationes:

Vers. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Salvum fac servum tuum & ancillam tuam. *Resp.* Deus meus sperantes in te. *Vers.* Mitte eis Domine auxilium de sancto. *Resp.* Et de Sion tuere eos. *Vers.* Nihil proficiat inimicus in eis. *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. *Vers.* Esto eis Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui in paradiso terrestri matrimonium instituiti in officium; & postmodum, pro nobis homo factus & ex Virgine natus, etiam in Sacramentum; & tua præsentia ac miraculorum tuorum primitiis dignanter illustrasti: quæsumus, ut, per merita Beatissimæ Virginis Mariæ, matris tuæ, Beatorum Crispini & Crispiniani Martyrum, omniumque Sanctorum & Sanctarum tuarum, hos conjuges, Matrimonii Sacramento copulatos, bene ✠ dicere, & ab omni ligamento, fascinatione, & maleficio Satanæ, fœcunditatem & salutarem sobolis propagationem eis impartiendo, tua pietate liberare digneris. Qui cum Patre & sancto Spiritu vivis & regnas.

Deinde Psalmi sequentes dicuntur:

Psalmus 1. Beatus vir, qui non abiit.

Psalmus 90. Qui habitat in adiutorio.

Psalmus 127. Beati omnes, qui timent Dñm.

Deinde Preces sequentes:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Salvum fac servum tuum & ancillam tuam. *Resp.* Deus meus sperantes in te. *Vers.*

Mitte

Mitte eis Domine auxilium de sancto. *Resp.*
 Et de Sion tuere eos. *Vers.* Nihil proficiat ini-
 micus in eis. *Resp.* Et filius iniquitatis non ap-
 ponat nocere eis. *Vers.* Esto eis Domine tur-
 ris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Do-
 mine, exaudi orationem meam. *Resp.* Et cla-
 mor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobis-
 cum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatae
 semper Virginis Mariae uterum mirabi-
 liter foecundasti, ut de Spiritu sancto verum
 Deum & hominem, Salvatorem nostrum Ie-
 sum Christum, conciperet: imploramus cle-
 mentiam tuam, ut his famulis tuis, matrimo-
 nii nexu conjunctis, sublato omni Daemonis
 impedimento & maleficio, salutarem matri-
 monii fructum largiri digneris. Per eundem
 Dominum nostrum Iesum Christum, Filium
 tuum, qui tecum &c.

Deinde, benedicens utrique, subjiciat:

Creator caeli & terrae, qui primis paren-
 tibus, matrimonii foedere sociatis, dixit:
 Crescite & multiplicamini & replete ter-
 ram; ille sua vos benedictione, adversus om-
 nes Diabolicas infestationes, foecundet atque
 multiplicet; & Christianae sobolis salutarem

propagationem misericorditer nobis concedat, in nomine Pa **✠** tris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Postea aspergat illos aquâ benedictâ,
& dimittat.

CAvendus vero crassus ille error, & rei sacra manifestus abusus, quo, tali maleficio vexatis succurri posse, aliqui putant, si vir & mulier, priori matrimonio, legitime & in facie Ecclesie contracto, mutuo consensu renuncient, & novum coram Sacerdote contrahant. Cum enim nulla sit ratio, cur secundum matrimonium contra ejusmodi maleficia remedium efficacius esse possit, quam primum; verisimile est, hoc procurari à Demone, omnium maleficiorum autore, ut res sacras hominibus ludibrio exponat. Deinde Sacramento Matrimonii gravis irrogatur injuria; quod, semel rite contractum, neque Ecclesie autoritate neque mutuo partium consensu solvi potest; dicente Domino: Quod Deus conjunxit, homo non separet.

Benedictio mulieris prægnantis, ubi aut matris aut infantis vita periclitatur.

Vers. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Salvam fac ancillam tuam. *Resp.* Deus meus sperantem in te. *Vers.* Esto illi, Domine, tur-

ris